CHRISTOPHORI RANZOUIJ EQUITIS HOLSATI EPISTOLA AD GEORGIUM...

Christoph Rantzau

1116 11

1116.11

CHRISTOPHORI RANZOVII

Equitis Holsati

EPISTOLA

AD GEORGIVM CALIXTVM

Professorem Helmstedensem

Qua sui ad Ecclesiam Catholicam accessus rationes exponit.

ROMAE ANNO MDCLI

Typis heredum Ludouici Grignani excudit Gregorius Tiberius.

SVPERIORVM PERMISSV.



11

CL. DOCTISSIMOQVE VIRO

GEORGIO CALIXTO

CHRISTOPHORVS RANZOVIVS

Sal. plur. dicit, vouetque æternam.

LITERAS tuas a. d. VI. Maij datas, doctissime idemque optime Calixte, plane quales sperabam accepi, nempe modestiæ & humanitatis, tum vero officiosi erga me affectus plenas. Indicant illæ, itidem vt aliæ sub idem tempus ex patria perlatæ, quam solliciti mea de re fuerint homines sui omnium incuriosissimi: quicum nihil Romæ spectatu dignum putent præter publicorum operum moles, & prisci splendoris indices parietinas; nec nisi cum stabularijs, lanistis, & saltatoribus plerique versentur, me viros pios doctosque frequentantem, quibus hæc vrbs abundat, in fidei catholicæ veritatem inquirere agreferunt. Sed illi de se viderint: egóquidem pro eo quo teneor æternæ felicitatis desiderio, studij humani curiositatem nusquam melius exercerí credo, quam in negotio salutis; quæ extra

vnam veramque Christi ecclesiam sperari nullo modo potest. Proinde cum haec praecipua Italicae profectionis caussa mihi fuerit, sedulo hic disquirendum mihi existimaui de religionis capitibus, quae septentrionem infelici schismate separant à Romana caeteraque catholica ecclesia. Eamque ad rem peropportuna mihi accidit amicitia Lucae Holstenij, sacerdotis catholici ex Transalbiana nostra; viri & eruditione & humanitate singulari, & in SS. Patrum & Conciliorum lectione versatissimi. In eo praecipue me delectauit, quod ab omni sophistica futilitate & logomachia abhorreat; quippe qua veritatem Catholicam luce meridiana clariorem, obfuscari tantum tenebrisque inuolui existimat. Eius consilio in discernendis fidei controuersijs regulam Vincentij Lirinensis, quem tua commendatione nosse & amare caeperam, adhibui; scilicet, diuinae legis auctoritatem, & Ecclesiae catholicae traditionem: itaut verum & indubitatum crederem quicquid sacra scriptura docet, dummodo interpretationis eius linea secundum ecclesiastici & catholici sensus normam dirigatur; non iuxta peculiarem cuiuscunque demum veteris aut nouae sectae opinionem detorqueatur.

Huius regulæ ductu dubitare non potui, quin ea certissima sacræ scripturæ mens esset, & vera ac genuina ecclesiæ catholicæ doctrina, quam proxime ab Apostolis acceptam probatissimi primorum quinque sæculorum Patres, & quatuor Concilia generalia, quatuor euangelijs antiquorum iudicio comparanda, tradiderunt: tum etiam quod suppares ijsdem temporibus historię ecclesiasticæ auctores scripto nobis consignatum vnanimi consensu reliquerunt: nec aliunde primitiuæ Ecclesiæ sensum clarius certiusque erui posse existimaui. Ita vt, quæcumque primis istis sæculis in dogmatibus fidei, ecclesiæ sacramentis, eorumque vsu & ritibus; tum etiam in politia & disciplina publica, vbique, semper, & ab omnibus credita, probata, & vsitata fuisse certo sciam, ea pro veris, & catholicis dogmatibus, sacramentis, ritibus, legibusque ecclesiasticis amplectar & teneam. E contra eos, qui vel olim publicam istam vniuersæ ecclesiæ doctrinam peruicaciter negarunt, adulterarunt, impugnarunt; vel hoc tempore, veterum quorundam exemplo, negant aut impugnant, ideoque Ecclesiæ communionem deserunt, hæreticos, schismaticos, nouatores, & Ecclesiæ perturbatores fuisse,

atque etiam nunc esse pronunciare non verear.

Quocirca primum ac præcipuum huius disquisitionis caput esse duxi, vt in ipsius Ecclesiæ nomen, naturam, & notas siue attributa sedulo inquirerem; quæ secundum Apostolum, domus Dei est, columna & firmamentum veritatis: & iuxta fidei symbolum, vna, sancta, Catholica, & Apostolica credi debet. Principio enim nisi vna sit, Ecclesia esse nequaquam potest. Cum enim corpus sit Christi capitis sui; vnius autem capitis non nisi corpus vnum esse possit, vnam tantum, quacumque diffunditur, Ecclesiam esse necesse est. Ea autem vnitas vnius eiusdemque fidei veritate, eorundem sacramentorum communione, pacis denique & concordiæ communis vinculo continetur. Ideoque vbi fides diuersa est, & sacramenta non eadem celebrantur, neque coniuncta vnius fraternitatis in vna Dei domo cohabitatio, ibi Ecclesia vna non est. Vnde iam olim hac re de pronuntiauit Cyprianus: Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia eius, & fides vna, & plebs in solidam corporis vnitatem concordiæ glutino copulata. Scindi vnitas non potest: nec corpus vnum dissidio compaginis separari, diuul-

sis laceratione visceribus in frusta, discerpi. Quicquid enim à matrice discesserit, seorsim viuere & spirare non poterit, substantiam salutis amittit. Ex quo sequitur Catholicam ecclesiam, quæ præcipua à parte Romana dicitur, cum Lutherana, Caluiniana, vel Anabaptistica vnam eandemque ecclesiam nec esse, nec fingi posse. Cum istæ non solum ab ea discrepent multis fidei capitibus, diuersisque sacramentis; sed hostili quoque odio dissideant. Omnes enim istæ sectæ à Romana ecclesia eam ob causam superiori sæculo se disiunxerunt, quod non Ecclesiam Dei, sed satanæ regnum, & Antichristi sedem, atque ipsissimam Babylonem eam existimarent, ideoque Luthero classicum canente, omnibus salutem in Christo sperantibus, & animo & corpore fugiendam crederent. Neque hactenus susceptum semel odium posuerunt, cum hoc ipso tempore Ecclesiæ hostes rerum potiti, templa Catholicorum inuadant, bonis spolient, episcopatus supprimant, monasteria subuertant, suæque sectæ doctrinam Catholicæ fidei abrogatæ substituant.

Sanctam quoque credimus & profitemur Ecclesiam, quam Christus ipse, teste Apostolo, sanguine suo sanctificauit, mundans eam

lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipsam sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Quod cum Augustino retr. l. 1. c. 18. & alibi, ita intelligimus, non quasi iam sit, sed quę preparatur vt sit, quando apparebit etiam gloriosa. Sancta tamen quam Spiritus sanctus Christi Domini, vt cum Tertulliano loquar, vicarius nunquam deseruit, nunquam deseret; sed virtutum vbertate fecundat, & sanctitatis magistram populo Dei constituit. Sane cum singulari Dei instinctu animus meus inde à pueto ad veram pietatem anhelaret, & pauca à nostris scripta reperirem igni illi cælesti foueñdo opportuna, quo diuini amoris incendium exardesceret; oblatis mihi tunc catholicorum scriptorum meditationibus factis, cœpi statim persentiscere, quanto sanius vberiusque Ecclesiæ illius filij de matris suæ vberibus Spiritus dulcedinem, & pietatis nutrimentum sugerent, quam qui etternæ nutricis exsuccas & arentes mammas inani labore fatigant. Eoque prima mihi de Ecclesiæ illius statu cognoscendo suborta est cogitatio neque enim verisimile videbatur in ea arbore fidei medullam exaruisse, quæ tam vberes pietatis fructus gigneret.

Atque istam tunc coniecturam minime me fefellisse abunde deinceps Catholicorum hominum vsu & conuersatione experti sum; maxime cum ad vrbem accessissem. Nam vbi tu superstitionibus, nugis, & nouitatibus me offensum iri existimasti, ibi insperato planeque admirando spectaculo vniuersa Catholicæ Ecclesiæ facies antiquæ pietatis sanctitatisque plena, oculis animoque meo se se aperuit, in ipso Iubilei, quod INNOCENTIVS X. Pont. Max. orbi Christiano indixerat, principio. Vidi enim solemni supplicationis ritu ad Basilicam Vaticanam procedentes numerosissimas infantium scholas, agmina monachorum, & religiosorum hominum sodalitia; inde collegia diuersa clericorum, & Ecclesiarum presbyteria. Clerum suum sequebatur Pontifex; veneranda Episcoporum corona circumfusus. Hunc populi Christiani ducem, & antistitem supremum immensa fidelium turba subsequebatur, eo animi ardore, vt cœlum ipsum expugnaturi, manuque violenta direpturi viderentur, homines plerique omnes sacco tantum & cilicio tecti, & scipione viatorio armati. Vbi in porticum ad limen Ecclesiæ peruentum, Pontifex in genua prouolutus, cum oratione su-

per plebem data misericordiam diuinam imploraſſet; occluſas valuas non tam aperiens, quam diruens, primus templum ingreditur, rectaque pergit ad altare, preces ſolemnes inchoaturus. Interim non ſine ſtupore ſpectaui, quo impetu populus ille ingens in Eccleſiam irrueret, limina certatim exoſculantes, genibusque perreptantes: templum ingreſſi pars in terram pronis, totoque proſtrati corpore, pars B. Petri, vt vocant, Confeſſioni, & altaribus proneluti, lacrimas precesque funderent; & ad miſericordiam Dei extorquendam, non tam pectus palmis, quam ceſlum ipſum imbribus tunderent. Haec fateor noua tum viſa mihi, cui nihil ſimile apud noſtros antea obſeruatum; vbi homines ad orationē genuflexi non niſi in ſepulcrorum memoriis picti ſculptiue conſpiciuntur. Sed nouitas illa clariſſimum antiquæ ſanctitatis indicium mihi præbuit: vnde Eccleſiam etiam nunc vitali vigore Spiritus ſancti vegetari regique certo perſpicerem. Eaque in ſententia magis confirmatus ſum, vbi populum illum agmine immenſo, & continua ſerie cæteras Eccleſias, precibus ſtationibusq; præſtitutas, obeuntem vidi, ſupplicationibus interim, & hymnis ſuo quosque ordine, ſed vno coniunctoque pietatis cer-

tamine diuinam opem expoſcentes. Tum vero perſpexi, quanta pietatis æmulatione peregrini ad Vrbem confluentes & publicis Eccleſiæ, & ſuæ quique nationis priuatis hoſpitijs excipiantur: ad hæc quo ſtudio curaque foueantur ægroti, quod fidem propemodum omnem excedit.

In tanto populorum & nationum numero facile perſpexi, quid Catholica eccleſia à ſectis factionibusque priuatis diſtet: cum hic omnes gentes omnesque linguæ vnius fidei & caritatis vinculo ſocientur: apud iſtos vnius eiuſdemque ciuitatis populus, ſæpe etiam familiæ ſingulæ, opinionum & parietum diuertigio ſeparatæ, ſua quique in angulo Eccleſiam coarctatam exiſtiment, cæteroſque vt exteros ac profanos ferali odio ſuerſentur.

Chriſtus Dominus omnes gentes, & extremos terræ terminos hereditatem & poſſeſſionem à Patre accepit. patrimonium hoc ampliſſimum integrum, nec minuendum vnquam, tabulis dotalibus ſanguine ſuo obſignatis ſponſæ vnicæ contulit. Proinde mirandum, cum S. Auguſtino, qualem veſaniam patiantur hæretici, qui præciſi à compagine Eccleſiæ Chriſti, & partem tenentes, & totum amittentes, nolunt communicare orbi terrarum, quo diffuſa

est gloria Christi; cui comunicat catholica Ecclesia. Etenim Christianorum cum sint hæreses plures, atque omnes se catholicos velint videri, aliosque præter se hæreticos nominent; vna est Ecclesia catholica; cui hæreses aliæ diuersa nomina imponunt; cum ipsæ singulæ propriis vocabulis, quæ negare non audeant, appellentur. Huius igitur Ecclesiæ tenenda est nobis communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solum à suis, sed etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolint ipsi quoque hæretici & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur. Hæc sola Ecclesia nos Deo seruat, hæc filios regno, quos generauit assignat. quisquis ab ea segregatus adulteræ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Eius vnitatem, qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris & Filij fidem, vitam non tenet & salutem. Quocirca, inquit, si tibi angelus de cælo diceret: Dimitte Christianitatem orbis terræ, & tene partes Donati, (hoc est Lutheri vel Caluini), anathema esse deberet: quia te à toto præcidere, & in partem con-

trudere conaretur, & alienare à promissis Dei. Ecclesia sponsa Christi est, vt ait idem Augustinus, totum possidet quod à viro suo accepit in dote. Quæcunque congregatio cuiuslibet hæresis in angulo sedet, concubina est, non matrona. iactet se cum spuria prole contra Ecclesiam, & ancilla procax dominæ conuitia & iniurias ingerat; eijcietur tamen cum filijs suis, qui vtcunque nunc Christi patrimonium sibi arrogent, hæredes cum filijs liberæ nunquam erunt. Neque enim Deum patrem habere potest, qui non habet matrem Ecclesiam.

Et nequis hanc matrem fidelium, arcam salutis, & Christi tabernaculum ignorare posset, in sole illud posuit, deditque in lucem gentium: atque vt Dei ciuitas conspicua appareret omnibus, in montis vertice eam eminere voluit. Quomodo enim gentes in tenebris & vmbra mortis sedentes ad eam conuerterentur, si veritatis luce extincta errorum nox ipsam oppressisset; vel admota Diogenis laterna in angulis esset quærenda? Ecclesiarum origines euoluenti omnium sæculorum exempla occurrunt, quam fidei & religionis matricem & magistram singulæ agnoscant. Taceo Britanniam, quatenus Angli Saxonesque

nostri eam occuparant, S. Gregorij magni apostolatu per Augustinum sociosque monachos Euangelij luce perfusam. Cogita Saxoniam nostram Cismarinam cum prouincijs vicinis ad intimum septentrionem porrectis, & extremam Thulen, S. Anscharij prædicatione Catholicæ ecclesiæ adiectam. Cogita reliquam transrhenanam Germaniam, quæ extra veteris Romani imperij limitem fuit, Bonifatij, VVillebtordi, Suiberti, & VVilhadi, aliorumque sanctissimorum hominum labore, & industria ad catholicæ fidei agnitionē, & Ecclesiæ vniuersalis communionem perductam. Nunquid ea tunc inuisibilis latebat Ecclesia, quæ Apostolicos viros prædicationis munere legitime instructos eo misit? quæ recens fundatis ecclesijs Episcopos ordinauit? quæ ritus legesque ecclesiasticas, omnemq; disciplinam sacram ijsdem tradidit? Si recentiora tempora spectemus, miraculo euidenti non caruit, quod auorum memoria de America, de vltima Africæ ora, & de Indiæ remotissimis prouincijs insulisque factum scimus. Subtraxerat Ecclesiæ catholicæ veritatis hostis prouincias & regna, quæ ad Septentrionem vergunt, & vniuersalis Ecclesiæ membra non ita pridem nobilissima in partes sectasque va-

tias diſcerpſerat; ita vt Chriſti patrimonium non exigua parte mutilatum videri poterat: cum tepente veritatis ſol, cui peruerſum & obſtinatum animum homines factioſi occluſerant, prouincijs quas dixi remotiſſimis, & dira barbarie efferatis exoritur, ſuoque lumine longe lateque omnia perfundit: vbi nunc regna, & prouinciæ propemodum infinitæ Chriſti iugo colla ſubmiſerunt; & religio catholica per metropoles, epiſcopatus, academias celeberrimas, & religioſorum hominum collegia infinita, lætiſſima propagine diffuſa floret. Quis vero neſcit, quibus auſpicijs, qua auctoritate, quorum opera & miniſterio id factum? Neque enim ex latebris noui & incogniti prædicatores emerſere, quod auorum memoria apud nos contigiſſe ſcimus; ſed Pontificum, regumque Catholicorum ſtudio agmina operariorum ad nouam meſſem, ex Catholicæ eccleſiæ gremio fuere ſubmiſſa. Neque nunc obſcurum vlli eſt, vnde miſſionarij ad fidei Catholicæ reliquias inter hæreticos & ſchiſmaticos tuendas, vel veritatem de integro apud infideles propagandam ſubmittantur, qui omnium nationum collegia, non ſolum Romæ, ſed per cæteras omnes orbis prouincias, etiam in Iaponia, ſub primo ſolis or-

tu à Pontificibus Romanis fundata non ignorat. Hoc catholicæ Ecclesiæ studium, hanc Pontificum, hanc Cardinalium curam vel præcipuam hic esse sciunt, qui sine odio & inuidia res Romanas inspiciunt. Neque eam inanem esse nostro hoc tempore patitur Deus, quum non ita pridem certo nuntio ex Oriente perlatum sit, Sinarum Regem cum familia & nobilitate præcipua, Christi fidem suscepisse, principumque exemplo myriades hominum passim ad baptismum properare: ita vt competentibus catechizandis vix omnes per Europam sacerdotes, si eo mitterentur, sufficturi videantur.

Denique Apostolicam eandem Ecclesiam symboli definitione profitemur, eo quod originem, & successionem ab Apostolis continua serie deductam vsque in finem seruet. Constat enim, inquit Tertullianus, quod Christus Iesus dominus noster duodecim Apostolos, quos hæc appellatio missos interpretatur, lateri suo adlegerit, destinatos nationibus magistros, ad Patrem egrediens iussit ire, & docere nationes tingendas in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Tum etiam quod Apostoli consecuti promissam virtutem Spiritus sancti ad virtutes & eloquium, primo per Iudæam

conteſtata fide in Ieſum Chriſtum, & ecclesijs inſtitutis, dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam eiuſdem fidei nationibus promulgauerunt; & proinde Eccleſias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt: e quibus traduces fidei, & ſemina doctrinæ cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, vt Eccleſiæ fiant, ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, vt ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum. Omne enim genus ad originem ſuam cenſeatur neceſſe eſt. Itaque tot ac tantæ Eccleſiæ vna eſt illa ab Apoſtolis prima, ex quâ omnes; & ſic omnes primæ, & omnes Apoſtolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem. Conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis eccleſijs Apoſtolicis, matricibus & originalibus fidei, conſpirat, veritati deputandam; id ſine dubio tenentem, quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit. Reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei. Hæc ille.

Vnde facile perſpexi, Septentrionalem noſtram Eccleſiam, quamdiu eam fidei doctrinam & ordinationem retinuit, quam S. Anſchario prædicante ab Apoſtolica ſe-

de susceperat, vere Catholicam, vere Apostolicam fuisse; quippe ab Apostolico viro fundata, cui petente Ludouico Pio Gregorius IV. Sedis apostolicę præsul ante corpus & Confessionem S. Petri, publicam gentibus septentrionalibus euangelizandi auctoritatem tribuerat. Sed cum post annos paulo minus DCC, eædem prouincię per Lutheri emissarios, quorum præcipuus apud nos fuit Ioannes Pomeranus, in partem sectamque peculiarem pertraherentur; & noui isti prędicatores, veteri fide & disciplina partim abrogata, partim interpolata, Ecclesias cathedrasque Episcoporum, qui vel exilio vel carcere mulctati decesserunt, inuaderent; & homines à seipsis orti, nouo more, sine episcopali ordinatione collegas & successores sibi constituerent; dubium non est, quin Apostolicę successionis serie interrupta eadem Ecclesia ex Catholica & Apostolica in hæreticam Lutheranam conuersa fuerit: vti etiam Cisalbiana vestra, quam à Suiberto & VVilhado Gregorij II. & Hadriani I. Apostolicorum Præsulum auctoritate fundatam, eadem pestis postea afflauit, & subuertit.

Dixi Ecclesias nostras Septentrionales Apostolicę doctrinę propaginem ex Roma-

na

na accepisse, quam Apostolicam fuisse, atque etiam nunc esse, nemo vnquam sanus dubitauit: quinimo vt omnium apostolicarum maxima & antiquissima, honoris prærogatiuam præcipuam semper obtinuit. Eius potentiorem principalitatem statim post Apostolorum tempora agnouit Irenæus. Eam statu felicem pronunciat Tertullianus, cui toram doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt; atque inde Africanis quoque ecclesijs suam auctoritatem præsto fuisse testatur; eo scilicet, quod doctrinam fidemque ex ea acceperit, ideoq; vt matrem & magistram coluerit vniuersa Africa. Hanc Petri cathedram atque ecclesiam principalem; hanc ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem agnoscit Cyprianus. In ea semper apostolicæ cathedræ principatum viguisse affirmat Augustinus. Vnde vniuersa antiquitas hanc Sedē Apostolicam proprio & absoluto nomine semper appellauit, & Episcopo ipsius Domni Apostolici titulum peculiarem tribuit. Ex ea vnitas sacerdotalis exorta est, teste Cypriano: quia Christus, vt sanctus ille martyr loquitur, super vnum Petrum ædificat ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas; & vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram cōstituit, & vnitatis eius-

dem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Et in pari consortio honoris & potestatis, prę cęteris Apostolis primatus Petro datur, vt vna Christi ecclesia, & cathedra vna monstretur.

Ob hunc primatum, siue potentiorem principalitatem Romanę sedis, necesse est ad eam omnem conuenire ecclesiam; hoc est, eos qui sunt vndique fideles, vt iam olim pronuntiauit Irenæus: ita vt catholicos censeri nullo modo possit, qui eius ecclesiæ communione non fruitur. Hanc Petri vnitatem qui non tenet, inquit Cyprianus, tenere se fidem credit? qui cathedram Petri, super quam est ecclesia fundata, deserit, in ecclesia se esse confidit? Nec quenquam latere potest historię ecclesiasticę paulo peritiorem, quam solicite olim Orientalium ecclesiarum episcopi de statu suo periclitantes, Romanę sedi fidem suam probare studuerint, eiusque exambierint communionem; vt ecclesias, vel salnas retinerent, vel amissas reenperarent. Hanc primam sedem ob eundem primatum nullius inferioris iudicio obnoxiam cęteræ omnes iudicem supremam in causis ecclesiasticis agnouerunt. ad eam á conciliorum vel collegarum sententijs prouocarunt; iniurijs pulsati eius popoſcerunt auxilium,

quod Petrus & Athanasius Alexandrinæ, Meletius & Paulus Antiochenę, Paulus & Ioannes Chrysostomus CPolitanæ ecclesię Patriarchę efficax & opportunum experti sunt. E contra Dioscorum Alexandrinum ideo ab vniuerso Chalcedonensi concilio damnatum depositumque legimus, quod excommunicationis sententiam S. Leoni intentans, primam sedem iniuria contumeliaque affecisset. Hunc primatum Christianissimi quiq; Imperatores agnouerunt. Ideoque Theodosius maior Nectarij Patriarchæ CPni electionem, quamuis ab vniuersali concilio Constpnō factam, à sede Romana confirmari voluit, eique formatam à Damaso PP. regulariter dirigi popoſcit, vt testatur Bonifacius PP I. Eodem modo iunior Theodosius eum Proclum ex Cyzicena ecclesia ad Constpnam transferri cuperet, prolatis Cęlestini PP.I. literis, quibus eam translationem pridem probarat, facile suo desiderio potitus est.

Sed eum tu nostro tempore Gręcos Romanæ sedis primatu iure offendi existimes, mox Orientalis ecclesię mentem accuratius peruestigatam explicabo: vnum interim addam; supremam semper fuisse sedis Romanę auctoritatem in conuocandis dirigendisq; episcoporum conciliis, quibus vel ipsi Pon-

tifices per se, vel per legatos à latere missos vel per diœcesiam primates, vicarios suos, præsidebant. cuiusmodi Vicariatu per Illyricum Thessalonicensem, per Gallias Arelatensem, per Hispaniam Tarraconensem & Bracarensem olim functos fuisse, indubitatæ antiquitatis testimonijs constat. Quali etiam postea per Germaniam Bonifatius Moguntinus, per septentrionem Anscharius, eiusque aliquandiu successores; per Angliam Cantuariensis, alibi alij ex veteri instituto ac priuilegio fungebantur. Nec minus absoluta fuit Episcopi Romani in Conciliorum decretis vel confirmandis vel reprobandis auctoritas; quod Constpni. I, Ephesini, & Chalcedonensis generalium conciliorum synodicæ ad Damasum, Cœlestinum, & Leonem magni perspicue docent. Hæc qui in tanta sacræ eruditionis luce vel negare, vel sophismatum tenebris obfuscare ausit, ei vel iudicium, vel pudorem omnem deperijsse dixerim. Quamuis tu Hildebrandicis dictatis hæc accensere non vereatis, & quasi noua fidei dogmata ad catholici nominis inuidiam exagites. Sed cum hac etiam parte à R. P. Ebermanno in Moguntinis disputationibus satis tibi nerose responsum sciam, hoc interim Catone contenti erimus.

Hęc, quam exposui, rationum summa est, cur Romanam Ecclesiam pro Vna illa, Sancta, Catholica, & Apostolica agnouerim, quam fidei symbolo profitemur; & cur eius gremio atque communioni tuto me commiserim. Vnde vice versa omnes extra eam congregationes, quocunque demum reformationis nomine glorientur, aut quacunque puritatis specie sibi blandiantur, vt hæreticorum latibula detestor: eaque vt nullum nunc cum catholica ecclesia in terris militante, ita neq; inposterum cum triumphante in cęlorum regno partem habitura certissime credo.

Verumenimuero illud vehementer miror, quod cum hoc ad ecclesiam Catholicam accessu omnibus eius per vniuersum orbem membris me coniunxerim, tu contra ab ijsdem me separatum existimes: eaque in re quam rationem sequaris, me non satis perspicere ingenue fateor. Nisi quod tu ecclesiam ex diuersis sectarum factionibus ita vnum in corpus conglutinatam existimas, vt quamuis omnes catholicæ e diametro aduersentur, inter se tamen occulto aliquo symbolo aut sympathia arcana, ipso scilicet catholicæ veritatis odio, ita sint colligatæ, vt qui vnam neget, omnes neget. Sed cum pu-

rus putus Lutheranismus, tua quidem opinione, angustissimis limitibus contineatur, vna scilicet & altera Saxoniæ nostræ præfectura, quotam quæso ille orbis partem occupat, vt cum Catholicorum regionibus, Italia, Gallia, Hispania, Polonia, Germaniæ & Belgij parte maxima, tum vero cum America, India Orientali, & latissimis Africæ regnis, denique cum Græcia, & Oriente, quarum maxima pars in catholica communione etiam hodie persistit, comparari queat?

Neque vero cum Lutheranismo caritatem & tolerantiam Christianam simul eiurant, vt tu suspicati videris, eo quod cum sectę omnes mutuo se scabant ferantq; inuicem, soli catholici cęteros omnes diuersa sentientes anathemate defigant. Non ego Augustanam confessionem hic tibi opponam, vbi fere omnium articulorum epiphonema est. Et damnamus secus sentientes. hoc dicam; cum nulla sit communicatio lucis cum tenebris, Christi cum Belial, cur veritatem catholicam amplexus hæreticorum oppositionibus contra vniuersalia, hoc est, ab omnibus, semper, & vbique credita dogmata, anathema dicere verear? Paulus fidem Galatis semel traditam non alio munimento securam præstari posse existi-

mabat, quam vt aliter docentibus anathema intentaret; idque non solum quibusque de vulgo preconibus, sed etiam Apostolis & Angelis ipsis. Ecclesia hortus ille est conclusus, ex Canticis, ad quem hæresi aditus non patet. hæc vinea euangelica, quam Dominus ab operarijs probe excultam, plantisque fructiferis consitam, ad fures feraſque siluestres arcendas sepe circumdedit. Et tu miraris, si maceriem illam sartam rectam conseruare omni ope studeat, si dirui perfodique prohibeat is, quem vineæ suæ Dominus suprema cum auctoritate præposuit? Profecto vt erroris in se, ita iniquitatis in nos rei sunt, qui cum terminos a Patribus constitutos pro libitu mouere, limites confundere, fines exarare, siluam non suam cædere, in alienam messem falcem immittere, pernerso & pertinaci animo palam audeant; vim sibi & iniuriam fieri queruntur, si alieno prohibeantur, si iuris violati postulentur.

Sed tu intra symboli articulos catholicæ veritatis terminos stare existimas, quæ illo expresse definita non sunt, nullam certam credendi legem, sed promiscuam habere sentiendi licentiam; quæ nouis ecclesiæ definitionibus constringi coarctarique non debeat. Sed minime nouum hoc aut inso-

lens effugium. Nestorius cum temeratę veritatis catholicę accusaretur, fidei symbolum obtendebat, quod θεοτόκος vocem non agnosceret; illud se profiteri aiebat, sed Cyrillus id satis esse negat. nam etsi symbolum voce tenus profiteri videretur, non tamen recte illud ipsum intelligere, neque sincere, sed peruerse & prępostere interpretari. Ideoque necessum esse vt ea omnia scriptis execraretur, & anathematizaret, & publicè abiuraret, quę sceleste, & profane hactenus ipse senserat, aliosque docuerat: eumque in finem duodecim anathematismos eidem prescribit, quibus errorem suum execraretur. Hisce anathematismis Cyrilli non solum Nestorius alios XII è diametro pugnantes opposuit; sed Ioannes Antiochenus cum affectis eosdem vt hęretica impietate refertos damnauit. Theodoretus quoque & suo & Orientalium episcoporum nomine, contradictionibus totidem impugnauit. Stetit tamen immobilis catholica veritas, & Cyrilli anathematismos eidem stabiliendę scriptos, vniuersa Dei Ecclesia approbauit, vtcunque principio noui durique multis viderentur.

Hoc vnum namq, vt Vincentius Lirinensis iam olim dixit, omni industria semper studuit Ecclesia catholica, vt vetera fideliter

ſapienterque, ſi qua ſunt illa antiquitus informata & inchoata accuret & poliat; ſi qua iam expreſſa & enucleata, conſolidet & firmet; ſi qua iam confirmata & definita, cuſtodiat. Imitatur enim animarum religio rationem corporum; quæ licet annorum proceſſu numeros ſuos euoluant & explicent, eadem tamen quę erant permanent. Eaſdem profectuum leges Chriſtiana religionis doctrina ſequitur, vt annis ſcilicet conſolideretur, dilaterur tempore, ſublimetur ętate, incorrupta tamen illibataque permaneat. cum nihil propterea in dogmatibus permutationis admittat, nulla proprietatis diſpendia, nullam ſuſtineat definitionis varietatem. Fas eſt enim vt priſca illa cęleſtis philoſophię dogmata proceſſu temporis excurentur, limitentur, poliantur; ſed nefas eſt vt commutentur, nefas vt detruncentur, vt mutilentur. Accipiant licet euidentiam, lucem, diſtinctionem; ſed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem, proprietatem. Nullius ergo nouitatis inſimulanda eſt Eccleſia, ſedula & canta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, ſi ſubinde hęreticorum nouitatibus excitata, conciliorum nouis ſtrictioribusq; decretis veterem fidem aſſerere, & à corruptelis vindicare enixa fuerit, etiam ſub

anathematis denuntiatione. Quo illud tantum perfecit, vt quod antea simpliciter credebatur, postea crederetur diligentius: quod antea lentius prædicabatur, hoc idem postea instantius prædicaretur: & quod ipsa prius à maioribus sola traditione acceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturæ chirographum consignaret. Neque vero hæreticorum hic curanda est oblocutio, neque eorum in gratiam vel apex vnus de rectis fidei decretis demendus vel mutandus. Nam si semel admissa fuerit hæc licentia, quis non videt, quantum exscindendæ atque abolendæ religionis periculum consequatur? Abdicata enim qualibet parte catholici dogmatis, aliæ quoque atque item aliæ partes iam quasi ex more & licito abdicabuntur; ita vt nihil posthac apud ecclesiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum. Hæc auctoris tibi notissimi sensu verbisque paulo prolixius exposui, quia plane ad rem nostram faciunt. Nolles enim Lutheranis omnem pro libitu sentiendi licentiam strictis illis concilij Tridentini decretis ademptam, in multis fidei dogmatibus, quæ cum eorum confessione vel hypotyposi non congruunt. Sed idem reliqui omnes sectarij conquerentur.

Omnibus ergo ex æquo gratificandum erat? ficcine vero sacrum illud fidei depositum integrum illæsumque posteris seruaretur?

Sane nullam maiorem Tridentinis patribus curam fuisse scio, quam vt omnia ipsorum decreta ad primitiuę antiquitatis sententiam exactissime conformarentur. quod quamuis te contra Veneti sannionis & Spalatensis apostatę opinionem ægre creditutum sciam; crederes tamen, si Guielmi Sirleti, tunc Vaticanę bibliothecę præfecti, epistolarum volumina mecum hic inspexisses; quibus ille singulis fere septimanis ad Marcellum Ceruinum, Seripandum, aliosque concilij præsides Cardinales prolixe perscribebat, quæcunque de singulis fidei capitibus ex SS. Patrum, præsertim Græcorum operibus, tunc maximam partem ineditis, diurno nocturnoque studio colligere poterat: eaque opera præcipue purpurę dignitatem meruit. Et sane præclara est, & in publicum proferri operæ pretium foret: appareret enim omnibus perspicue, quam diuersos totoque cælo distantes polos spectarint Augustanæ confessionis Concordiæque auctores, atque ex aduerso Tridentini patres auitę fidei defensores. Nanque hic, solam cælestis veritatis cynosuram respicieus,

——— semper sublimis; at illum
Sub pedibus nox atra videt, manesque profundi.

Sane qui tuas aduersus catholicam fidem disputationes recte expendunt, eandem plane litem ecclesiæ te mouere facile perspiciunt, qua Pyrrhonij dogmaticos olim exercuerunt. Nam sceptici, vt acatelepsiam & epochen suam tuerentur, etiam certissima sapiẽtum decreta vocabant in dubium, adeoque omnia indefinita & incomprehensibilia pronuntiabant. neque enim magis hoc, quam illud esse; & omni rationi rationem æqualem opponi posse existimabant. Eodem modo cum sacra antiquitate agis. nulla tam clara & certa sunt SS. Patrum dogmata, nulla tam sancta conciliorum decreta, quæ non conuellantur ratiunculis, vel ex dubio aliquo, vel male intellecto, aut perperam explicato loco deductis. Ita nunc omnis veterum theologia mera tibi sceptis est; adeoque largiter peccasse putas ecclesiam, quæ accepta á Patribus dogmata, ab hereticorum pernicacia anathematis denuntiatione vindicanda censuerit; in quibus scilicet leuia & exigui momenti permulta tibi videntur, quæ vtrum credas, aut non credas, vel quo pacto credas, parum interfit.

In his primo loco ponis Purgatorium, cuius non solum res, sed & nomen ipsum nostros homines vehementer offendit, ideoque non minores ob sublatum purgatorium Luthero gratias se debere existimant, quam Lucretius Epicuro suo,

——*qui cum vita iaceret*
In terris oppressa graui sub religione,
Primum Graius homo mortales tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra.

Docuitque suos assecias,

Vt metus ille foras praceps Acherontis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo.

Sed vtcunque illis explodendum videatur hoc dogma, certum est, antiquissimum & vniuersale semper fuisse in primitiua ecclesia; ideoque non sine ratione concilium anathemate id stabiliendum duxit: cum triplici ex capite veritas eius asseratur. Primo ex sacris literis, Matth. 5. vbi carceris nomine appellatur, in quo satisfiat vsque ad nouissimum quadrantem: tum prima ad Corinthios 3. vbi quosdam ita saluos futuros scribit Apostolus, quasi per ignem. Nititur deinde auctoritate præcipuorum doctorum ecclesiæ tam græcæ, quã latinæ, qui prædicta loca scripturæ vnanimi consensu de purgatorio sunt interpretati. In Græcis agmen ducunt S. Basilius,

ad caput 9. Isaiæ hac de re prolixe agens; & libro de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 15. Gregorius Nazianzenus & Nyssenus in diuersis orationibus. Basilius Seleuc. orat. 4 de Dauide. Isidorus Pelus. lib. 5. epist. 350. & Ioannes Chrysostomus tom. 6 sermone pro defunctis, homil. 21. in Acta, & homil. 3. in epist. ad Philippenses; quę loca Io. Mattheus Caryophilus Iconiensis antistes Zachariæ Germani græculi nugis erudite opponit. Cum doctoribus græcis paria faciunt latini. S. Ambrosius in locum Apostoli 1. Cor. 3. & Hieronymus in 4. caput Amos. Augustini autem loca omnia vel obiter indicare prolixum foret: cum neminem antiquorum plura, vel clariora hac de re scripsisse constet, vt vnus instar omnium esse possit. Tertia ratio est analogia fidei, & sensus perpetuus vniuersæ ecclesiæ in precibus & oblationibus incruenti sacrificij pro defunctis offerendis; quod & ipse aliquoties te affirmantem audiui. hæc autem vana & irrita essent, nisi animas tali in statu & loco commorari credidisset antiquitas, vbi Ecclesiæ suffragijs subleuari possent. Tum etiam in veteris pœnitentiæ disciplina idem ecclesiæ sensus elucet, quæ vindictam peccati ne ijs quidem, qui in extremo vitæ discri-

mine reconciliabantur, indulgendam cē-
ſuit; ſed ſanitati reſtitutos Deo & fidelium
ſocietati pœnitentię ſquallore ſatisfacere
voluit. Ab hac igitur perpetua vniuerſæ
antiquitatis ſententia cur nunc demum
eccleſia recedat? vel hæreticorum proter-
uiæ proculcandum relinquat dogma om-
nium doctorum auctoritate ſtabilitum?
Concilium veritatem catholicam caute &
prudenter decreto ſuo contra fidei ſubuer-
ſores aſſeruit; ſimulque malas artes eorum
qui ex pietate quæſtum faciunt, & populi
ſimplicitati illudunt, proſcripſit: ita vt
quid ab homine Chriſtiano veritatis ac pie-
tatis amante, tam in ipſo dogmate, quam
Concilij decreto deſiderari poſſit, non vi-
deam; modo nouitatis & partium ſtudio
animus non præpediatur.

Eadem lenitate anathema infligi putas
ijs, qui ſeptem Sacramenta non confiten-
tur. Sed dic ſodes, cur eccleſia catholica
non damnet eos, qui duobus ſolis vtcum-
que retentis, cętera quinque vel expun-
gunt, vel ſacramentorum nomine indigna
exiſtimant? Tu negare non potes, Latinos
pariter & Græcos ſeptenarium numerum
agnouiſſe à quinque retro ſeculis. Vnde
autem hanc ſententiam vtrique eccleſię
ſubortam exiſtimas eo tempore quo Græ-

eorum schisma aduersus Latinos maxime ferucbat? Quis eos nullas non dissidiorum causas aucupantes hac in parte Latinis tum coniunxit? Vnde hanc vtriusq, ecclesiæ obseruationem non nisi ex primitiua & apostolica traditione acceptam, & perpetuo vsu ad nostra vsque ad tempora deriuatam esse necessario sequitur. Neque opus est, vt prolixius agam post eruditissimum laudatissimumque opus Petri Arcudij Lutetiæ editum, quo consensus Græcæ ecclesiæ cum Latina tam solide ostenditur, vt nemo hactenus, quod sciam, contra hiscere ausus fuerit. Si ergo angelo de cælis, nouum quid præter semel ab apostolis tradita prædicanti, anathema intentet ipse Paulus; cur nos tam profane in ecclesiæ sacramenta grassãtes anathemati subijcere dubitemus? Præcipua hæc diuinæ gratiæ instrumenta vniuersa Dei ecclesia semper agnouit, semper exercuit; & nunc demum post quatuordecim sæculorũ vsum ea nouatoribus tollere & proculcare impune licebit? Nam vt firmissimum illum etiam nostro seculo vtriusque ecclesiæ consensum taceam, sane Confirmationis, Pœnitentiæ, Ordinis, cæteraque sacramenta tam perspicue & constanter proxima apostolorum temporibus ecclesia credidit & exercuit, vt nostro demum

mum seculo sine manifesto impietatis crimine abrogari, negari, & violari non potuerint. Mihi controuersias post tot eruditos theologos retexere, animus non est: id breuiter ostendam, nullo modo me reprehendendum, quod antiquitatis sententiam perpetuam nouis dogmatibus prætulerim.

Confirmationis sacramentum ab Apostolis traditum omnis antiquitas semper & vbique tenuit: contra Nouatiani, id negantes & negligentes, omnium calculo sine vlla controuersia & exceptione, nouatores & hæretici habiti. Quæro ego, si tum receptissimum per omnem ecclesiam sacramentum fuit, cur nunc vt figmentum nullo veritatis fundamento nixum expungitur? Et si Nouatiani id explodentes olim omnium calculo fuerunt hæretici, quomodo Lutherus, Caluinus, cæterique sectarum patroni nunc eundem errorem errantes, ab hæresi immunes? Ad hæc, si olim ecclesia vniuersa Nouatianos iure damnauit ob violatum, aut neglectum hoc sacramentum, ideoque non nisi Chrismate confirmatos ad communionem eos recipi voluit; cur hodie temeritatis notam meretur, si nouatores idem sacramentum exsibilantes anathe-

mate defigat? Proinde miror qui nam tu contra Moguntinos f. 108. ferreæ frontis. hominem pronunciare audeas, qui dixerit; siue ex scriptura, siue ex consensu antiquitatis demonstrari posse, sacramentum Confirmationis, quali nunc ecclesia Catholica vtitur, à Christo institutum esse: Ego vero non sine manifesta impietate in dubium vocari existimo, quin Apostoli, quod ipsi fecerunt, quodque vniuersæ ecclesiæ faciendum tradiderunt, à Christo magistro acceperint. Cum ergo vniuersa ecclesia inde à principio confirmationis sacramentum ab Apostolorum instituto se accepisse, & eorundem exemplo exercuisse fateatur; indubie sequitur, cõfirmationem illam à Christo per Apostolos institutam, non postea subintroductam fuisse. Ab ipsis autem Apostolis ecclesiæ traditum fuisse euidentissime patet. Etenim Clemens Alexandrinus libro, Quis diues saluandus, apud Eusebium hist. eccl. lib. 6. cap. 35. & ipse liber Clementis sub falso Origenis nomine non ita pridem à Gisterio editus, iuuenem quendam à Ioanne euangelista episcopo cuidam Asiatico cõmendatum commemorat; cui baptismate illuminato episcopus signaculum Domini, vt perfectam tutelam, contulit. Quo loco

baptiſmum & chriſma, vt diuerſa ſacramenta à Clemente poni, ex ſimili loco ſtromatum lib. 2. certiſſimo apparet. Hinc Clementis diſcipulus Origenes ad Rom. 6. baptiſmum & chriſma conferri ſcribit, ſecundum typum eccleſiæ traditum: & Cornelius PP apud Euſebium lib 6 cap 35. Nouatum, cum in morbo baptizatus eſſet, poſtea conſecutum negat, cum cætera, quæ baptiſmũ ſequũtur, κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα hoc eſt, iuxta eccleſiæ canonem, tum epiſcopalem obſignationem. Dic queſo, à quo typum, vel canonem illum, ſeu regulam eccleſiæ traditam putas, niſi ab ipſis Apoſtolis? Sane Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus in Africa, eodem tempore ab apoſtolis deducit, quod baptizati eccleſiarum præpoſitis confirmandi offerebantur: vt per noſtram, inquit, ordinationem & manus impoſitionem, Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo Dominĩ conſummentur Cypriani mente & verbis loquitur Auguſtinus lib. 15 de Trinitate cap. 26. Nemo diſcipulorum dabat Spiritum ſanctum; orabant quippé, vt in eos veniret, quibus manus imponebant, non ipſi eum dabant. quem morem in ſuis præpoſitis etiam nunc ſeruat eccleſia. Nec minus perſpicue S. Hieronymus dialogo

contra Luciferianum, cap. 4. Quod si hoc loco quæris, inquit, quare in ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat Spiritum sanctum? disce, hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini, Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. Cui deinde locum ex Actorum cap. 8. subiungit: quo etiam Innocentius I. celebri illa epistola ad Decentium Eugubinum vtitur, vt recens baptizatorum obsignationem solis episcopis permissam doceat. Numquid tot talesque viri ferreæ tibi frontis videntur?

Sed quod tu frustra apostolicam illam & miraculosam manuum impositionem allegari existimas ad hodiernam, vt ais, Pontificiam confirmationem, eo non minus iniurius es in secula ptimitiua, & omnes quos laudau Ecclesiæ doctores, quam in hodiernam Romanam ecclesiam: cum iam illo tempore visibilis ista & miraculosa donorum effusio cessauerit. Ideoque vnus Augustinus reliquorum nomine tibi respondeat, tract. 6 in epist. S. Ioannis: Nunquid modo, quibus imponitur manus, vt accipiant Spiritum sanctum, hoc expectatur, vt linguis loquantur? aut quando imposuimus manum istis infantibus, at-

tendit vnusquisque vestrum, vtrum linguis loquantur? & cum videret eos linguis non loqui, ita peruerso corde aliquis vestrum fuit, vt diceret, non acceperunt Spiritum sanctum? Vides hanc peruersi cordis assertionem à S. Augustino iam olim explosam, cuius tempore miracula illa non minus, quam nunc cessarant. Neque tamen confirmationis sacramentum ideo de ecclesia tollendum censuit, quod nouatores postea fecerunt.

Eo autem rerum catholicarum plane te imperitum ostendis, quod nullam prorsus manus impositionem in hodierno confirmationis sacramento adhiberi affirmare non verearis Ecclesia catholica nihil ab antiquo ritu mutauit. qualem S. Gregorij Magni sacramentorum liber iam olim descripsit, eundem Pontificale Romanum totidem verbis nunc retinet; scilicet, vbi confirmandi ad episcopum perducti coram eo in genua procumbunt, ibi leuata manu sua super capita omnium dicit: Omnipotens sempiterne Deus, &c. emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum, &c. Eandemque orationem Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 2. iam suo tempore in confirmatione adhiberi solitam docet. Vnde manifestissime apparet,

quam tu frustra inter veterem, & hodiernam confirmationem, tum etiam inter diuersarum Ecclesiarum ritus discrimen fingas, quæ viris doctis in ecclesiastica antiquitate probe versatis non nisi commiserationem exprimunt.

Sed cum omnia persequi, neque huius loci, neque mei sit instituti, addo quod in hac quæstione præcipuum & palmarium est. Tu confirmationem meram cæremoniam, eamque liberam & indifferentem, baptismo olim coniunctam fuisse affirmas, econtra veteres omnes sacramentum hoc à baptismo diuersum existimant, & sacramenti nomine passim appellant. Atque ita longo temporum decursu, vsque perpetuo, à maioribus accepit, atque hodie etiam credit non solum Latina, sed & Græca ecclesia. Tu, vbi commodum fuerit, tuæ opinionis argumenta ex antiquitate propones: ego interim pro mea, hoc est catholica sententia, aliquot indubitata veterum testimonia afferam, quæ nullis offircijs offuscari possunt. Tertullianus diabolum Christo etiam de sacramentis æmulatum scribit, præscript. cap 40. quo loco præter Baptismum, & Eucharistiam, Pœnitentiam quoque & obsignationem chrismatis; item ordinem, & matrimonium disser-

tissime sacramentorum Christi nomine ac numero complectitur; vt & lib. 1. aduersus Marcionem, cap. 14. præcipue autem lib. 1. aduers. Praxeam cap. 5. vnctionis sacramentum diserte appellat. Cum magistro sentit & loquitur. Cyprianus epist. 72. vbi hæreticorum rebaptismum propugnans ait, parum esse ijs manus impoui, ad accipiendum Spiritum sanctum, sed tunc demum plene sanctificari, si sacramento vtroque nascantur. Sic episcopi concilij Africani apud eundem Cyprianum epist. 70. constituunt, De errore & prauitate venientibus dandam per omnia diuinæ gratiæ sacramenta, vnitatis & fidei veritatem Quibus locis confirmationis sacramentum expresse non solum à baptismo distinguitur, sed eidem opponitur. S. Augustini loca multa & clarissima habentur de eodem sacramento chrismatis, ex quibus perspicue patet eum non cæremoniam indifferentem, vt tu ais, sed verum & peculiare sacramentum confirmationem existimasse quæ libro secundo contra Petilianum, comment in psalm. 26 & tractatu in epistolam Ioannis 3. & 6 videri possunt. His duos addam antiquissimos grauissimosque scriptores, Cyrillum Hierosolymitanum, & S. Ambrosium, vtique ecclesiæ sacra-

menta initiandis necessaria explicans ; peculiari sermone de baptismo, & alio peculiari de spirituali signaculo, quo post fontem confertur perfectio, vt de diuersis Sacramentis agit : vt ex illius catechesi mystagogica. 2. & 3. huius sacramentorum libro 3. apparet. Neque enim pura putaque cæremonia, & baptismi appendicula, vt tu vis, specialem catechesin mereretur.

Præterea si confirmationis sacramentum hæreticis ad ecclesiam reuersis Spiritus sancti gratiam confert, quam ex baptismo mere formali extra ecclesiam, quippe obicem diuinæ gratiæ ponentes, accipere non potuerant, mera illa secundum te cæremonia efficacior erit, potiorque ad salutem, ipso sacramento baptismi; atque ita sacramenti defectus non validiori sacramento, sed nudæ cæremoniæ accessu emendabitur: quod quam sit absurdum, & quam omni doctrinæ & disciplinæ ecclesiasticæ contrarium, quis non videt? Omitto Africanam, & Cappadociæ, vicinasque ecclesias, quæ, vt dixi, non solo confirmationis sacramento, verum iteratione baptismi priotiis vitium corrigendum pertendebant: sed catholicam reliqui totius orbis sententiam à conciliis Patribusque expositam

propono. Cyprianus partem catholicam suo argumento sic ptemit, epist. 76. Qui hæreticis siue schismaticis patrocinantur, respondeant nobis, habeantne Spiritum sanctum hæretici, an non habeant? Si habeant, cur illic baptizatis, quando ad nos veniunt, manus imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum? sed quia non habent, ideo apud nos manus imponitur, vt hic accipiant. Hinc can. 7. Laodicenus, Nouatianos eiurata hæresi catholicè instructos sancto chrismate inungi, & sic ad ad sancti myst erij communionem admitti constituit. Sic Basilius magnus celebri illa epistola canonica ad Ampilochium, probans Laodiceni concilij sententiam contra Cappadoces, de Nouatianis conuersis statuendum ait, vt qui ab ipsorum baptismo accedunt ad ecclesiam, vngantur à fidelibus. Eamque Laodicenæ Synodi, & Basilij sententiam confirmauit paulo post Concilium Costantinopolitanum 1. canone 7. quo etiam obsignandi & vngendi formulæ Græcis hodie vsitata præscribitur. Neque aliter canonem illum intellexerunt explicaruntque Romanæ Ecclesiæ præsules concilio illi suppares. Siricius ad Himerium Tarrac. Atianos, inquit, nos cum Nouatianis, alijsque hæreticis, sicut est in Syn-

odo constitutum, per inuocationem sc-
ptiformis Spiritus episcopalis manus im-
positione, catholicorum conuentui socia-
mus; quod etiam totus oriens occidensque
custodit Similia habet Innocentius I. epist.
2. Sed omnium clarissime Leo Magnus lo-
quitur epist. 85. Qui baptismum ab hæreti-
cis acceperunt, sola inuocatione Spiritus
sancti per impositionem manuum confir-
mandi sunt; quia formam tantum bapti-
smi sine sanctificationis virtute sumpserũt.
Hæc de confirmationis sacramento intel-
ligenda quisdubitet? quo etiam nunc ec-
clesia catholica ab hæresi venientes veteri
more suscipit. Veteri, inquam, more, idque
non nisi per manum episcopi. Nam vtepi-
logus concilij Romani habet tom. 1. Conc.
Colon. pagin. 255. iam ante dictos Ponti-
fices Siluestet Papa constituerat, vt pres-
byterum Arianum nemo susciperet, nisi
episcopus eiusdem loci eum reconciliа-
ret, & sacrosancto chrismate per episcopa-
lis manus impositionem sancti Spiritus gra-
tia, quæ ab hæreticis dari non potest, con-
firmaret. Concilio Romano accedunt Gal-
licana. Arausicanæ Synodo can. 1. hæreti-
cos in mortis discrimine positos, si catho-
lici esse desiderant, si desit episcopus, à
presbyteris cum chrismate & benedictio-

ne consignari placuit. Sic concilium Epaonense can. 16 Presbyteros, inquit, propter salutem animarum desperatis & decumbentibus hæreticis, si conuersionem subitam petant, chrismate permittimus subuenire; quod omnes conuersuri, si sani sunt, ab episcopo nouerint expetendum. Vides confirmationis sacramentum presbyteris, tantum in articulo necessitatis, propter salutem animarum ab episcopis olim permissum fuisse. Nam extra vrgentissimam necessitatem, per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel conuersis ex hæresi, Spiritum sanctum tradere episcopis tantum licet, vt habet concilium Hispal. 2. can. 7. Idemque supra Cypriani & Augustini testimonio probatum est. Et tu post apostolorum exempla, post vniuersalem totius primitiuæ ecclesiæ doctrinam & praxin, sacramentum, quo illa animatum salutem confetri censuit, in cæremoniam arbitrariam & indifferentem, sine iusta ecclesiæ censura mutari posse existimas?

Hæc de Confirmatione sacramentorum numero asserenda paulo prolixius scripsi, vt videas quam bene ex antiquitate, sine ferreæ frontis aut plumbei cordis nota, seruetur catholica ecclesia, etiam vbi tu pessima causa eam niti existimas.

Multo igitur facilius reliquis sacramenti nomen vendicatur, quorum quædam ita sunt perspicua, vt ipsi lectæ vestræ auctores in sacramentorum numero ea habuerint. Quod de pœnitentia fecisse constat Melanchthonem apologiæ confessionis Augustanæ cap. 13 & ipsum Lutherum contra triginta duos Louanienſium articulos; tum vero catechismus minor, qui pueruli apud nos ediscendus proponitur, idem testatur: vbi inter articulum de baptismo & Eucharistia, caput de clauium potestate interiectum fuit. Si ergo pœnitentia vere est sacramentum, habens mandatum Dei & promissionem gratiæ, vt Apologia dicto loco ait, eandemque ob causam Lutherus eam sacramentum libenter confitetur; peccant sane eius asseclæ, qui ecclesiam catholicam eo nomine fugillant, quod non confitentes anathemate feriat.

Matrimonium quoque tacito quodam consensu Lutherani in sacramentorum numero habent, dum perpetuo sacrum coniugij statum appellant. Et cur sacramentum post Paulum Apostolum credere & vocare dubitet Ecclesia? Sane omnium temporum Patres & Doctores frequentissime ita appellant, quod vnius Augustini locis fere innumeris ostendi potest,

præsertim ex libro de bono coniugali; vt Tertullianum lib. contra Marcionem c. 18. aliquoties sacramenti nomen matrimonio tribuentem, aliosque taceam.

De sacramento Ordinis sectarum auctores Lutherus, Melanchthon, & Caluinus itidem discrepant. Ille enim cum sectatoribus Illyrico & Chemnitio, sacramentum esse mordicus negat; duo autem posteriores in sacramentorum numero habendum ostendunt. Ea scilicet vis est catholicæ veritatis, vt aduersariorum oculos quamuis nictitantes penetret, suaque luce percellat. Nam ab ipsis Apostolis institutam, passimque vsitatam, vt plurima sacræ scripturæ loca testantur, vniuersa Dei ecclesia suscepit, & pro vero atque indubitato sacramento semper habuit Ordinationem, quæ fit per orationes, & manus impositionem ab episcopis, quos in apostolorum locum successisse constat. Augustinus suo tempore neminem dubitasse affirmat, quin Ordo æquè sacramentum esset atque baptismus, dum ait libro 1. contra Parmenianum cap. 19. Ipsi explicent, quomodo sacramentum baptizati non possit amitti, & sacramētum ordinati possit amitti. Si enim vtrunque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amitti-

ur, & illud amittitur? neutri sacramento iniuria facienda est. Sol mero meridie clarior non est hoc Augustini testimonio, cui nullæ hæreticorum strophæ tenebras vnquam offundent. Sic Leo magnus epist. 81. magna deuotione curandum monet, ne tantæ benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum. Idem epist. 87. contra digamorum ordinationes inuehens: Quis ergo, inquit, dissimulare audeat, quod in tanti sacramenti perpetratur iniuriam? His accedit S. Hieronymus, Vigilantium eiusque assecias exagitans his verbis: Nisi prægnantes clericorum viderint vxores, Christi sacramenta non tribuunt. hoc est, vt eadem epistola loquitur, Christi ministerio arbitrantur indignos. Vnde cum ordinationem sacramenti nomine intelligere dubium nullum est. Adderem S. Gregorij magni locum, omnium hac de re clarissimum, in 4. Regum cap. 5. nisi ille ob tenebras eius temporis ecclesiæ iam offundi cæptas, vt vos quidem dicitis, intestabilis vobis haberetur, qui vix primam & purissimam auditis antiquitatem. Certo credo me tam præclaris auctoribus nixum multo rectius Ordinis sacramentum cum catholica ecclesia admittere; quam tu eum Luthero eiusque assecliis, omnis antiquita-

ris hostibus, idem neges,

De extrema vnctione habemus Iacobi apostoli præceptum : habemus doctrinam & vsum perpetuum veteris ecclesiæ, quam S Anscharius Septentrionis apostolus, cum catholica fide nostris quoque prouincijs intulit, vt ex eius vita Coloniæ nuper edita constat. Tu veniam dabis, si antiquitati fidem potius quam tibi tanta in re tribuam, & de sacramentorum numero ecclesiæ iudicium tuo præferam.

Tertio dicam impingis Ecclesiæ Romanæ, quod Ioannis & Christi baptismum confundentes anathemate defigat. Sed quid peccauit Concilium Tridentinum, si fidei depositum fideliter custodit, & catholicum, hoc est, vetus & vniuersale omnium sęculorum, omniunque Ecclesiæ doctorum dogma, disertissimis sacræ scripturæ verbis innixum, à nouatorum peruersione vindicat? Quisquis Concilium eo nomine sugillare non veretur, idem sibi dictum putet à S. Hieronymo, quod Luciferiano eundem errorem errantí iam olim respondit : Ita tu peruersè religiosus, dum ferui baptismo plusquam habuit tribuis, dominicum destruis; cui nihil amplius relinquis. Nec minus grauiter se ab Augustino, quam Petilianum, obiurgari ex-

istimet, vbi ait: Baptismus Ioannis ad baptismum Christi non pertinet, nec eius pars vlla vel gradus est; alioquin aut tunc iterabatur aqua baptismi Christi, aut si baptismus Christi tunc per duas aquas perficiebatur, minus perfectus est modo, quia non datur illa, quæ per Ioannem dabatur, quodlibet autem horum impium ac sacrilegum est opinari. Quid igitur cum vniuersa Dei Ecclesia damnare formidem eiusmodi dogma, quod ad impiam & sacrilegam opinionem viam sternit? Nec ignoro quam operose alibi contendas ostendere, quæstionem hanc otiosam & ambiguam esse, ideoque neutram in partem debuisse determinari à Concilio. At si otiosa, cur Caluinus, Melanchthon, alijque reformatores alteram partem contra SS Patres & Ecclesiam catholicam post Lucifernanos & Donatistas resuscitarunt, & tam petrinaciter nunc etiam vrgent? Illud vehementer miratus sum, quod sententiæ tuæ patronum ipsum Augustinum alibi producere non verearis, quo nemo acrius catholicum dogma aduersus sui temporis hæreses propugnauit; vt solus Tridentinæ definitioni tuendæ abunde sufficiat. Sed mihi professionis meæ rationem reddere propositum est, vt non temere me antiquita-

tem

tem contra nouitates, vniuersitatem contra priuatas opiniones secutum offendam; non vt contentionis ferram cum quoquam reciprocem.

Cæterum hisce tanquam leuioribus, & vtcumque ferendis multo tam grauiora & plane intoleranda subiungis: quæ non solum aures Batauas siue Saxonicas, sed etiam Græcas offendant. Ea sunt, Primatus supra reliquam omnem Ecclesiam Pontifici Romano iure diuino assertus; adeoque infallibilis Spiritus sancti assistentia eidem, vt toti familiæ Christi præfecto, & ecclesiæ sub Christo Domino capiti supremo, in rebus fidei totius Ecclesiæ consilio ac nomine definiendis, attributa. cui adiungis mutilationem Eucharistiæ, siue communionē sub vna specie, & missam sine cōmunicantibus; quam Lutherus angularem vocat, ipsique diabolo adeo absurdam & impiam visam asserit, vt nocturno congressu validissime eam oppugnarit, & abrogandam esse Luthero planissime persuaserit, neq, alia solemnis Liturgiæ vna cum priuata tollendæ ratio illi fuit. Quocirca quid eiusmodi magistri auspicijs atque auctoritate Lutherani & Caluiniani reijciant, non magnopere mihi curādum existimo: dummodo id cum primitiuæ ecclesiæ vniuersali

sensu & praxi conueniat; quod in hisce non minus quam præcedentibus articulis liquido ostendi potest.

Nam Romanæ ecclesiæ primatum Græci ante Imperij diuisionem, & postea florente Orientis Imperio, dum ante schisma & secutam inde Turcicam seruitutem, agnouerunt. Irenæus Græcus scriptor potentiorem illam principalitatem Ecclesiæ Romanę, ad quam, ait, necesse est omnem conuenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, non ab humano priuilegio, sed à fundatione & traditione Apostolica accersit. Nicæni Patres cum ad Romani episcopi exemplum Patriarchalibus ecclesijs prærogatiuas suas can. 6 cõfirmant, non iuris humani priuilegium, sed antiquos mores, & veterem, hoc est, apostolicam traditionem obtendunt. Eundem primatum confitentur Patres synodi Constantinopolitanæ can. 3. vbi regię vrbis Episcopo secundum honoris locum decernunt. In Ephesini Concilij actis Cyrillus Alexandrinus de Nestorij hæresi recens tum exorta ad Cælestinum PP. refert, longa Ecclesiarum consuetudine persuasus, vt ipse testatur. Eidem sedis Romanæ authentiam, hoc est supremam & liberam pro arbitrio agendi auctoritatem, & loci sui vicariam

potestatem confert Cælestinus; vt sententiam, qua Nestorium circumscripserat, eo efficacius potentiusque exequatur. Vnde nam illa authentia sedis Romanæ, ab humano, an diuino iure? Certe ſiS. Prosperum audiamus con. collat. cap. 41, Cælestinus Cyrillo ad exsecandam Nestorianam impietatem Apostolico auxiliatus est gladio In eodem Concilio parte 2. act. 2. Philippus presbyter gratulatur synodo, quod lectis Cælestini literis sancta membra sancto capiti se exhibuerint. Caput autem totius fidei, inquit, & Apostolorum est B. Petrus. Vides puto dignitatem capitis, siue primatum ecclesiæ Romanę B. Petro Apostolo, hoc est iure diuino, niti. idque luculentis verbis mox idem Philippus copiosius declarans ait: Nulli dubiũ, immo seculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum caput & princeps, fideique columna, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, a Domino nostro Iesù Christo saluatore humani generis ac redemptore claues regni accepit, soluendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc vsque tempus, & semper in suis successoribus viuit, & iudicium exercet. Huius itaque secundum ordinem successor & locum tenens sanctus beatissimusque Papa,

noster Cælestinus episcopus, nos ipsius præsentiam supplentes ad hanc sanctam synodum misit Hæc in actis Ephesini Concilij. Verum quæ nulli tum dubia, sed sæculis omnibus nota, nostro tamen tempore vt dubia, & antiquitati incognita, vel primo loco inter absurdas Romanæ ecclesiæ assertiones ponis, tractatu tuo contra Moguntinos f. 142. Dic bona fide, mi Calixte, cui tutius credam, tibi neganti, an affirmanti Concilio? Accedit quod Iuuenalis Hierosolymitanus ibidem act. 4. affirmat, morem fuisse inde ab ipsis derivatum traditumque Apostolis, vt sedes Antiochena, à Romana dirigatur, & apud eam indicetur. Vnde act quinta sancta Synodus vltimam de Ioanne Antiocheno sententiam Cælestini iudicio reseruat. Tune Apostolicam illam ἐξουσίαν ἢ ἀξίωσιν ad humanum vel diuinum ius, hoc est, ad Petri primatum referendum existimas? Chalcedonensis synodi acta eundem primatum Ecclesiæ Romanæ, in Petrum Apostolorum principem collatum, innumeris propemodum locis confirmant. Omitto quę in præliminaribus epistolis Imperatorum & Augustarum habentur; quod priuata vel domestica testimonia ex Occidente prolata possint videri; ea scilicet quæ epi-

stola 15. 25 26. & 33. leguntur. Sane actione 1. Beatissimus & apostolicus episcopus vrbis Romæ omnium ecclesiarum caput vocatur, quia nimirum sedem apostolicam gubernat. Act. 3. Dioscorus episcopatu priuatur à Leone PP. per legatos & sanctam synodum, idq; ope beatissimi & gloriosissimi Petri Apostoli, qui est petra, & crepido Ecclesiæ catholicæ, & rectæ fidei fundamentum. Depositionis causam præcipuam non semel addncunt Patres, quod contra ipsam sedem apostolicam latrarit, & in sanctum Leonem excomunicationem promulgare conatus sit; hoc est, contra ipsum illum, cui vineę custodia à Saluatore commissa est; vt habet totius synodi relatio ad Leonem: quem vocis B. Petri interpretem omnibus constitutum, concilio vt caput membris præfuisse aiunt. Et quamuis act. 16. ex Constantinopolitani concilij decreto, secundum dignitatis locum Regiæ vrbis episcopo confirment, nihilominus primatum & eximium ac præcipuum honorem Romanæ sedi conseruant: quod in eadem relatione Patres ita explicant, vt apostolici splendoris radio, quo Roma fulgebat, ecclesiam Constantinopolitanam illustari, eiusque bonorum participatione ditari petant. Vides vt optime,

quid de primatus Romani origine ac fundamento Orientalis ecclesia primis quinque seculis crediderit, priusquam ambitionis vertigine in schismatis barathrum præceps ageretur. Nam post invasam totius Illyrici, tum etiam Siciliæ & Calabriæ iurisdictionem ecclesiasticam, Constantinopolitanum Patriarcham sedi Apostolicæ non solum æquare, sed etiam præferre conati sunt, Nilus, Barlaamus, alijque schismatici, non solum liuore, sed etiam imperitia, & veteris ecclesiæ disciplina ignoratione excæcati. Quotiescunque tamen veritatis & vnitatis amor Græcorum animos subijt, eãdem cum orthodoxa antiquitate sententiam professi sunt. Vnde in Synodo Florentina sess. 25. cum Latini primatum Pontificis sacræ scripturæ definitioni dictisque sanctorum innixi scripsissent, Græci, vt suis quoque patriarchalibus priuilegijs consulerent, addi voluerunt, Papam sua priuilegia habere iuxta canones, & dicta sanctorum, sacramque scripturam, & acta conciliorum. Vnde mox in decreto vnionis primatus pontificis iure diuino asseritur: quippe cui in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem ecclesiam à Christo Iesu Domino nostro plena potestas tradita sit. Hęc Græca ecclesia ex maiorum

suorum & totius antiquitatis sensu; quæ hoc loco pluribus a me asseri necessum non est.

Nec magis Græcos offendere potest Communio sub vna specie, quam ipsi æque vt Latini iam olim tenuerunt, atque etiam hodie passim retinent. Nam recens baptizatis infantibus de solo calice guttam instillant; ægrotis autem & moribundis sola panis specie viaticum exhibent: vtrisque tamen verum & integrum Eucharistiæ sacramentum hoc modo se tradere non dubitant. Idem cæteri omnes ad orientem & meridiem Christiani, præsertim Abassini, antiquo & perpetuo suæ ecclesiæ more faciunt. Neque Eucharistiam mutilari existimauit antiquitas, cum fidelibus particulas panis consecrati ad priuatam communionem domum asportandas daret, vel ad anachoretas in eremũ mitteret. Omnium vero clarissime vtriusque ecclesiæ consensum perpetuum ostendit communio ex præsanctificatis, quæ Græci feriis quadragesimalibus, Latini sola feria sexta maioris hebdomadæ vtuntur, ex antiquissimo vtrique instituto: neque tum quidquam de sacramenti mutilatione suspicabantur.

Liturgiam sine communicantibus Græcis iuxta ac Latinis in vsu nunc esse, doctis-

simi eius nationis viri, & ipse vsus quem passim per Italiam cernere est, testantur; eoque falsam Chythræi criminationem refellit Allatius, cuius librum apud Batauos editum, tibi iam visum lectumque non dubito. Sed ne vocum ambiguitate fallamur dicam tibi, mi Calixte, quid hic tum in cæteris Ecclesijs vrbicis, tum præsertim in maioribus basilicis fieri obseruauerim; vbi festis diebus, hoc præsertim anno, in tanta exterorum frequentia, myriades hominum ad sacram communionem confluunt. Ibi summo mane Parochus, aut alius sacerdos, ad destinatum huic functioni altare dominici corporis sacramentum consecrat, ea particularum multitudine, quæ populo fidelium communicando eo die sufficura videatur. communicant tum de eiusdem sacerdotis manu quotquot sacro officio adsunt: cæteri qui & ipsi communicaturi toto deinde antemeridiano tempore infinito propemodum numero citius tardius templum accedunt, primum missæ siue liturgiæ officio adsunt, quod ob populi frequentiam & commoditatem à diuersis sacerdotibus ac diuersa altaria subinde celebratur: eoque finito ad alterum illud altare, quod huic ministerio destinatum dixi, communionem accipiunt. Tu ne sacerdotem illum

sine communicantibus missam celebrasse aut eos qui celebranti adfuere, cum sacerdote suo non communicasse affirmabis, non dicam communione precum & vnitate Spiritus, sed ipsa participatione specierum sacramentalium; quamuis ad aliud altare de alterius sacerdotis manu eam acceperint? Puto te non dicturum; nisi vnam ecclesiam, vnum altare, vnum sacrificium, vnum sacerdotium; vnam inter omnes fideles vnius eiusdemque panis communicationem, & vnam vnius corporis cum vno capite vnionem negaueris, quam negare certe non potest, nisi qui factionum studio Christi ecclesiam plane ignoret. Tu vero, mi Calixte, numquid omnes qui olim sacro Liturgiæ officio aderant, de Eucharistia, quæ per singulas synaxes celebrabatur, communicasse existimas? Neque hoc puto dixeris, qui antiquissimorum Patrum de communicantium infrequentia querelas non ignoras. Non laudans dico, sed vt necessitatis legem etiam tunc abfuisse ostendam.

Sed quoniam tu ea quæ in Catholicorum Liturgia minus probanda censes exposuisti; liceat mihi eadem libertate de noua vestra vicissim ex te perquirere: qua pontificiæ missæ errores sublatos vos quidem

dicitis; nos omnem veteris Liturgiæ vel græcæ vel latinæ faciem abolitam euersamque certo scimus. Non dicam de Caluinianis, Anabaptistis, Sociniania, quos præter externos ritus ipsius quoque sacramenti veritatem sustulisse ingenue fateris: sed Lutheranorum missa, si tamen hoc nomine appellanda, quid præter metum nomen apud vos habet? quamuis & hoc ferme intercederit. Synaxes illæ solemnes, quibus voto Ecclesiæ cum Christo capite per oblationem communionemque sanctissimi corporis eius foueretur ac nutriretur, ita olim omnibus communes erant, vt ijs non adesse piaculum ducerentur grauissimum, & pœnæ supplicijque loco esset, si quis vel integræ actioni, vel parti præcipuæ interesse prohiberetur, quæ Canonis nomine nunc appellatur. Eo enim cum post orationes aliquot & lectiones sacras, earumque explicationes peruentum esset, præter catechumenos & energumenos, etiam pœnitentes sanctuario excludebantur. Tota hæc actio apud vos in concionem seu ἀναγνωσίαν mutata est: huius deinde dimissa concione appendicula quædam est qualiscunque illa missa, seu communionis formula, veteris Liturgiæ in locum subintroducta; quam ceteri ea die-

non communicaturi parum aut nihil ad se pertinere putant. Ita nunc Concio caput est Synaxeos, cuius pars ex veteri ecclesiæ instituto & præparatio esse solebat.

Sed profecto vt te Missa catholica sine communicantibus offendit, ita mihi multo magis communio vestra sine Missa displiceat. Quod enim missæ vestigium in vestra illa actione, præter externa quædam, vestes dico, & vasa, & nonnulla inania catholicæ Liturgiæ imitamenta? Quomodo enim missa sine oblatione? quomodo oblatio sine sacerdote? quomodo sacerdos sine ordinatione episcopi? quomodo episcopus sine legitima & apostolica successione? vel quomodo verum sacramentum corporis Christi, extra Christi ecclesiam? Manifestum enim est, vt ait S. Cyprianus, apud omnes hæreticos Spiritus sancti gratiam non esse, nec eorum sacrificia, quamdiu hæretici sunt, posse Deo placere: neque spiritalis gratiæ sanctificationē sacrificijs eorum tribui, qui offerunt ab ecclesiasticæ corporis vnitate diſiuncti. Solius enim Ecclesiæ Deus delectatur sacrificijs, quam sacrificiū Deo facit vnitas spiritalis: vbi & fidei veritas nullā credit in Trinitate distantiam, & pacis tenacitas fraternam seruat in caritate concordiam. Attende tibi, ait lex Deutero-

nom. xii. ne offeras holocausta tua in omni loco quemcunque videris; sed in loco quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum. Audi, quis sit locus electus, ait S. Augustinus Rogatiano Donatistæ, & quæ tribus Domini. In psalm. 131. habes: quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Hic est locus electus, hic mons sanctificatus, hæc ciuitas supra montem posita, vt abscondi non possit, hæc radix catholica, hæc vitis fructifera longe lateque diffusa: & ego, inquit, dico tibi: Attende tibi ne offeras in omni loco, id est, in omni hæresi, & dicas; & hic Deus & ibi Deus est. Qui alibi præter Ecclesiam colligit, ait Cyprianus, Christi Ecclesiam spargit. vnica enim sponsa Christi vnam sponsi domum nouit, vnius cubiculi castitatem casto pudore custodit. Stare tu & viuere putas posse de ecclesia recedentem? sedes sibi alias & diuersa domicilia condentem? Sacramentum Paschæ nihil aliud in Exodi lege continet, vt agnus qui in figura Christi occiditur, in domo vna edatur. Caro Christi & sanctum Domini ejici foras non potest: nec alia vllæ credentibus præter vnam ecclesiam domus est. Vna autem ecclesia, vna & intus esse & foris non potest. Qui enim de ecclesia exiet

runt, certe in ecclesia non sunt. Ideoque quæcunq; extra ecclesiam tenentur & sacramenta, & scripturæ, ad speciem tenentur, non ad salutem: cum ista in sola ecclesia catholica salubriter habeantur, vbi fides cum caritate retinetur Extra hoc corpus, inquit S. Augustinus, neminem viuificat Spiritus sanctus, per quem caritas Dei diffunditur in cordibus nostris. neque enim particeps est diuinæ caritatis, qui hostis est vnitatis.

Tu vero optime nosti, quę vnitas sit apud eos qui ab ecclesia catholica recesserunt: vbi vt omnes à catholicis, ita à seipsis singuli ferali odio diffident. Etenim vt Sampsonis vulpeculæ caudis colligatæ Capite in diuersa tendebant, ita illi solo catholicę veritatis odio coniuncti cætera omnia toto cælo differunt. Quinimo sola vnionis conciliandæ mentio, pacisque studium omnium odio in se concitando sufficit. Hic teipsum tibi propono, qui non meminisse non potes, quomodo Turone nsi colloquio Augustani tui ad Calumianos te reiecerint, tum vero nuperi librorum indices ostendunt, quam non fraterne ijdem congregales tui scriptis non vno loco proiulgatis te exagitent. Ita dum nescio quod ecclesiæ simulacrum ex omni sectarum

schismatumque genere, tanquam Babylonici colossi pedes ex ferro, testa, lutoque conflare conaris, illi ipsi qui conglutinari nec possunt nec volunt, te oleum operamque perdentem cõuicijs contumelijsque traducunt: adeoque dum omnium esse cupis, nullius es; & ecclesia, cuius ideam tibi fingis, spatio ferme imaginario coarctatur. Quid enim magis dissonum ab ipso fidei symbolo, quid religionis Christianæ principijs magis aduersum dici aut cogitari potest, quam vt puriorem Ecclesiam ad Hossatiæ nostræ angulum, & vnam atque alteram Ducatus Brunsuicensis præfecturam restringere quis velit? cæteras orbis prouincias erroribus & superstitionibus oppressas ad veritatis lumen caligare existimet?

Agnosco sane Academiam vestram singulari quodam Dei beneficio, & sapientissimorum Principum cura, viris eruditis & accurata docendi ratione cæteris per Septentrionem scholis palmam præripere; hælluationes & morum corruptelam, bonæ mentis pestem, obnixe auersari, tum quod præcipuum duco, maiorem sacræ antiquitatis cognitionem ad fidei controuersias disceptandas adhibere: toto tamen cælo abest, vt Catholicæ ecclesiæ ad

inuidiam obduci possit. imo quantis-cumque doctrinæ præsidijs feliciter instructa, hoc vno est infelix, quod catholica non est; dum Lutheri partem sequuta, scissuras contra vniuersi orbis vnitatem fouendas suscepit.

Extrema malorum sunt hæresis & schisma, vnde præsens fidei iactura & inexuitabile salutis naufragium sequitur. ab hac peste nemo vnquam pius, nemo sapiens vitiatæ disciplinæ & corruptis ecclesiæ moribus remedium quæsiuit. Ipsa enim separatio impios ostendit, vt ait Fulgentius, quæ tales ecclesiastico corpori non socios, sed aduersarios facit. Neque enim à conuentu ecclesiasticæ vnitatis corpore separarētur & loco, nisi prius ab ecclesiastica fide discederent corde corrupto. Habet quidem ager Dominicus præter boni seminis frugem etiam zizania, eaque, proh dolor, copiose ab inimico homine super seminata. verum non ideo segetem proteri aut exuri iubet pater familias; sed zizania cum ipsa fruge ad messem vsque, toleret. Area hæc Domini ventilabro permundanda paleas frumento mixtas vsque in finem sæculi sustinere non recusat. Exurentur suo tempore zizaniorum fasciculi sine messis detrimento: illæso tritico paleæ dispergentur.

Neminem intra Ecclesiam catholicam recte credentem, & bene viuentem aliena peccata macniant. Animæ ac saluti suæ iniurius est, qui palearum odio aream deserit; cum frumentum non nisi ex area congregetur in horreum.

Nec despicienda est Christi sponsa, quod diuturno peregrinationis æstu fusca; quod decolorata longæ serenitatis sole; quod etiam seculari puluere aspersa nunc videatur. nigra quidem illa, sed formosa: cuius gloria omnis interna cum sit, æmulorum oculos, in nouos rugasque cutis externæ tantum intentos fallit.

Sed bene est, quod inanis illa & fictitia ecclesiæ larua, quam sectarum auctores magna puritatis specie venditant, nullis fucorum pigmentis hactenus ita incrustari potuit, quominus suam prodat deformitatem: quippe cui nihil solidæ pietatis & sanctimoniæ subesse statim deprehendit, qui paulo penitius introspicit. Nam quod eu seueritatem disciplinæ ecclesiasticæ fratrum Bohemicorum exemplo reduci desideras, ea vetus querela est, & inane votum, à Melanchthone ante annos CXV conceptum, vagiente adhuc in cunis Lutheranismo: quem si senescentem nunc aduita confirmataq; licentia ad obedien-

tiæ

tiæ iugum retrahi posse existimas, sane falleris. Excutere iugum, non mutare voluit; omnemque conscientiæ coercendę rationem carnificinam arbitratur. Cur enim non de veteri pœnitentium disciplina potius restituenda cogitas? cur non vitæ religiosæ, & consiliorum euangelicorum obseruationem in vsum renocare studes? Sed ita fit; filius ille adolescentior cum domum mensamque patetnam reliquisset, dissipata substantia peregre ad porcorum siliquas se proiecit. Ita post conculcatas & exustas à Luthetoo Canonum leges, Patrumque regulas, post proscriptos episcopos, post euersa sanctioris vitæ asceteria, monitores correctoresque Bohemicos desideratis: quasi tam altum profanatæ religionis vlcus tali cataplasmate petsanari possit.

Ego vero, mi Calixte, multo oppottuniorem medendi modum tibi patriæque nostræ proponerem, si sanis consilijs locus relinqueretur; maiorque veritatis pietatisque restaurandæ, quam factionum propugnandarum cura & solicitudo esset: cogitarentque Principes, quæ mala in Rempublicam, quæ vitia & cotruptelæ in mores vitamque priuatam, ex religio-

nis subuersione profluxerint: quam timendi sint ipsis hypocritæ, & fanatici homines, qui defecatissimam religionis puritatem professi, diuinas humanasque leges promiscua facilitate proculcant, & sceleribus atque parricidijs eo grassantur, ne à quoquam dependeat, vel coerceri possit efrenis quidvis agendi licentia. Merito Ecclesia catholica mater Christianorum verissima, inquit Augustinus, non solum ipsum Deum, cuius adeptio vita est beatissima, puriſſime atque castissime colendum prædicas; sed etiam proximi dilectionem atq; caritatem ita complecteris, vt variorum morborum quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina prepolleat. Tu cum ætates gradusque omnes officijs suis instruas, doces etiam Reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus; quibus honor debeatur, quibus affectus; quibus reuerentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulq doces; ostendens quemadmodum & omnibus omnia, & omnibus caritas, & nulli debeatur iniuria. Deinde vitæ spiritualis magistram eandem prolixe cele-

brans, addit præclare: Quod vtinam isti hæretici (ecclesiæ scilicet catholicæ contemptores) intelligere si valerent, nusquam profecto Deum nisi apud re, atque in tuo gremio, minime superbi & bene-placati venerarentur. Ad hanc tutius confugies, mi Calixte, quam ad fraternitatem Bohemicam, si ecclesiæ doctrinam disciplinamque apud nostros restitutam cupias.

Ad hunc salutis portum te inuitare non desinam, ad quem sedulo perueſtigandum tua in primis opera me excitatum profiteor. Nam Romanam ecclesiam, vtam illam, sanctam, catholicam, & apostolicam esse non tam facile mihi licuisset perspicere, nisi antea tuo ductu certo credidissem, eam non Antichristi sedem, & Babylonicæ meretricis lupanar, sed vere ecclesiam etiam nunc esse, & salutis spem pie in ea viuentibus neutiquam denegandam; eo quod precipua fidei capita, quibus fundamenti instar salus nostra innititur, salua & immota retineat. De reliquis, sin absque partium studio esset, vnionem aliquam, vel saltem syncretismum iniri posse existimabas. Ad hæc multa temerario illo reformationis tumultu abrogata dolebas,

quæ cum magno pietatis emolumento potuissent retineri. multa quoque Ecclesiæ catholicæ falsa, & absurda fatebaris affingi, quæ aut plane ignoret, aut ipsa improbet. Ita tu Hermę vialis instar in biuio defixus, digito intento viam qua ad ecclesiam catholicam pergerem mihi subindicasti.

Quod autem à sententia, quam maturo consilio post longas atque ardentissimas preces amplexus sum, tuo colloquio me dimoueri posse existimas, id vero fiet, vbi aliam scripturam, alia Conciliorum acta, aliam ecclesiasticam historiam, & diuersa Cypriani, Augustini, aliorumque Patrum scripta, ab ijs quæ certa & indubitata Romæ consului, mihi exhibueris. Nam elusiones, & subterfugia Spalatensis, & similium mangonum, in tam perspicua antiquitatis sententia admittere non possum.

Interim te, mi Calixte, per Deum & Christum salutis nostræ auctorem oro atq; obsecto, vt animæ tuæ negotium tibi commendatissimum habeas; serioque cogites de ecclesia Dei, columna & firmamento veritatis, qualem eam ab Apostolis, virisque apostolicis fundatam, totoque orbe diffusam, prima quinque secula viderint:

quibus illa fidei dogmatibus, quibus sacramentis, qua disciplina, quo regiminis modo tunc fuerit instructa; quanto studio puritatem & vnitatem suam aduersus hæreses & schismata vindicarit. Eius statum faciemque vbi diligenter inspexeris, tum sine odio studioque partium dispice, quam omnia illa nunc salua superstint in Romana, cæterisque cum Romana communicantibus ecclesijs; eamque & nominis & dogmatis catholici hæredem, atque apostolici depositi custodem agnosce. Econtra perpende, quam truculenter & impie in matris viscera sæuierint infausti illi reformatores; vt faciem eius deturpauerint, artus dilaniarint: vt pro veteri catholica doctrina suos quique substinuerint errores & deliria: vt sacram scripturam non secundum perpetuum & vniuersalem sensum & consensum SS. Patrum explicent, sed ex cerebri sui libidine nouis & priuatis interpretationibus peruertant: vt sacramenta eorumque ritus abrogarint; Apostolicas traditiones, omnemque veterem disciplinam, Patrum & conciliorum salubberimis constitutionibus firmatam, sustulerint, vel eneruarint; consilia euangelica & vitæ sanctioris studia explosérint; hic-

rarchiam ecclesiasticam, & omnem præcipiendi & parendi distinctionem confuderint. Sublata Episcoporum auctoritas, nudo tantum nomine ad ditiones reditusque ecclesiarum occupandos nonnusquam seruato. Ordines presbyterorum, & diaconorum, cæterique officiorum & ministeriorum gradus abrogati; denique nouæ ecclesiæ facies introducta omnibus seculis ignota; ad cuius conspectum quotquot inde ab Apostolis fuere doctores, Patres, episcopi, virique sancti, velut ad monstrum & errorum larnam nunc cohorrescerent.

Et quoniam te virum doctum, & antiquitatis sacræ vnum fere præ cæteris studiosum compello, cogita quanta Septentrioni nostro ex infelici illa religionis subuersione ignorantiæ cæcitas incubuerit. Patrum, & ecclesiæ doctorum non scripta tantum sed nomina ipsa ignota non solum vulgo, sed ijs qui in ecclesijs scholisque docendi munus sustinent. Si quæ forte cumnam nota aut lecta, ex rhapsodis & ecclesiæ perduellibus ea tantum consarcinantur loca, quæ ad veritatem oppugnandam vt cumque facere videntur. Deis quali librorum supellectile mi-

niſtri & prædicantes apud nos inſtructi; ex quibus poſtillarum lacunis illi paſtores doctrinæ pabulum crudum indigeſtumque gregi ſuo proponant. Contra, ſi publicas priuatasque bibliothecas hic inſpicias, ſi ſtudia cordatorum hominum expendas, ſtatim vides, quam omnia ad primitiuæ eccleſiæ mentem doctrinamque intelligendam explicandamque tendant. Libri & monumenta antiqua, præſertim ſacra, ſummo ſtudio & impenſis maximis vndique parantur; & in ijſdem publica luce donandis doctorum hominum deſudat induſtria. Ita nuper Græcorum Patrum in Prophetas commentatijs, alijsque in vetus Teſtamentum quas vocant catenis non vno volumine comprehenſis, immorientem vidi optimum doctiſſimumque Corderium. alios concilijs antiquis & SS. Patrum operibus ab interitu vindicandis; alios hiſtoriæ eccleſiaſticæ annalibus procudendis occupatos noui. & ne quid in tenebris lateat, quo fides catholica illuſtrari poſſit, ſunt qui veterum Chriſtianorum cœmeteria cryptasque martyrum ingenti Romæ ſubterraneæ opere deſcriptas in lucem edant. Ita vnus omnibus antiquitatis retinendæ amor, nouitatis auerſatio.

Eadem mihi nouæ sectę deserendę, eadem antiquæ fidei amplectendę causa, ad quam te & Vossium nostrum iterum atque iterum inuito, certissimo æternę salutis lucro, quod extra Catholicam Ecclesiam frustra speratis. Hoc tandem, mi Calixte, rogo, quod ille in simili caussa apud S. Augustinum; si institutum & exemplum meum piget imitari, noli aduersari. Vale. Romæ, Anno Iubilei M D C L Kal. Septemb.

EPISTOLA GEORGII CALIXTI

Ad Christophorum Ranzouium

Salutem ab auctore salutis.

GENEROSE Vir, domine & amice longe carissime, quoties huc venerunt, qui ex Italia rediirent, toties de te scisscitatus sum. Fecit enim tuum pietatis, virtutis, & eruditionis studium, cuius hic luculenta specimina edidisti, vt te in oculis geram, & de incolumitate tua solicitus sim; certa spe nixus, te communi nostræ patriæ magno ornamento insi-

gnique emolumento breui fore. Vt autem fieri solet, alij de te nihil referre poterant, alij nunciabant te Romæ degere, & familiaritatem contraxisse cum Henrico Iulio Blumio, nostræ olim disciplinæ alumno. Cuius rei certiores nos faciebat haud ita pridem Franciscus Henricus VVitzendorpius, patritius Luneburgensis, nisi mihi memoria imponit, cui iam senescens, quod talia attinet, non semper possum fidere. Sed nuper etiam non nemo hac transiuit, qui me quidem alloquutus non fuit, nec mihi innotuit, sed alijs narrauit, te admodum familiarem factum Lucæ Holstenio, & nonnullis Iesuitis, qui multories tibi scrupulos injcerent, & dubia mouerent, vt propemodum inciperes vacillare, & religionem pontificiam reformatæ anteferre. Venit idipsum ad aures nostri Vossii, eiusque animum vehementer perculit, vt ad me quoque deferrer. Commouebar equidem, fateor, aliquantulum: sed cum me recolligerem, & prudentiam vimque ingenij tui expenderem, & Vossium bono animo esse iussi, & ipse fui, non ignarus, quanta illa tibi diuinitus concessa, & quam frequenter fallant, & plane infidi nuncij sint rumo-

res. Non potes ignorare, inter omnes partes, in quas hodie, proh dolor, scinditur populus Christianus, Pontificiam, plurimis superstitionibus, corruptelis, figmentis, & nouitatibus scatere: inter quas etiam est, qui hodie celebratur Iubileus, antea apud Christianos inauditus, & demum ante annos CCCL. à Bonifacio VIII. homine improbo institutus. Quamquam hoc malorum minimum videri possit, si cum dictatibus Hildebrandicis aliquanto antiquioribus comparetur. Qui Pontificijs se iungit, cogitur, se separare ab omnibus alijs Christianis, qui sunt per totum orbem terrarum; & quidem ob causas aliquando non admodum graues. Cogitur enim anathema illis dicere, qui Purgatorium non admittunt, qui septenarium numerum Sacramentorum in dubium vocant, qui baptismum Ioannis & Christi eundem fuisse non fatentur. Iam quod attinet primatum Pontificis de iure diuino, eiusque infallibilitatem, mutilationem Eucharistiæ, & Missam sine communicantibus, hæc talia sunt, vt à Christianis Græcis, Lutheranis & Caluinianis, quemadmodum appellamus, reijciantur: luter ipsi propter eiusmodi reiectionẽ siue

improbationem à Pontificijs anathemate feriantur Græca Ecclesia sicut sub iugo tyrannico gemit, & dira seruitute premitur. ita paulatim ignorantia quadam opprimitur, & necessaria ad iudicium de doctrinis controuersis ferendum eruditione destituitur. Caluiniana hinc magnam maculam contrahit, quod contra dissectam Seruatoris adsertionem corporis sanguinisque Dominici in sancta Eucharistia præsentiam inficiatur. Lutherana, quæ dogmati vbiquitatis inhæresciт, vix minorem, dum hunc satis crassum errorem tuetur & obtrudit. Mi nobilissime Ranzoui, ausim affirmare, vix alibi ecclesiam inueniri melius compatatam, quam in nostra patria, & hic in Ducatu Brunsuicensi, ditionis VVulfebutenlicæ & Calembergicæ. Exulant enim inde non modo superstitiones & corruptelæ pontificiæ, sed etiam Caluinismus, qui præsentiam in Eucharistia negat, & illaudabile dogma vbiquitatis. Contra insciam quoque in Academia pugnamus, quantum possumus, & optimæ eruditionis studia alias fugientia retinere cupimus & stabilire. Scis etiam pro pietatis & sanctimoniæ studio nos satagere, & quod doceamus absque eo gratiam Dei, & salu-

tem firmam, & indubitatam subsistere non posse. Superamut tamen fateor, quod seueritatem disciplinæ ecclesiasticæ ad pietatem omnino facientis attinet, à Fratribus Boemicæ confessionis. Cæterum tuo consilio & prudentia & auctoritate in patria nostra, quæ adhuc desiderari possint, aut emendari postulent, aliquando cumpletum, & correctum iri spem omnino certam concepi. Qua ne fruster, faxit Deus Optimus Maximus, tibique inspiret, quæ hoc faciant, & ad illustrandam diuinam gloriam, & promouenda patriæ ecclesiæ reiquepublicæ emolumenta. Si quis autem scrupulus iniectus, ei quæso locum concedere noli & si forte remouere totum nondum possis, ita suum iter institue vt in reditu nos inuisas: nullus enim dubito, per auxilium diuinum, & mutuam nostram collationem facile sublatum iri. Bene vale & age feliciter nostri memor, quemadmodum nos tui. Ex Academia Iulia VI. Maij. CIↃ IↃ CL.

Generositati tuæ addictissimus

GEORGIVS CALIXTVS

990607941

1116

Amedy cardinalis Opus de Consensu Ecclesiasticum Latin f. 92
Cayetanus contra Erasmum f. 30
Genesis cum thomas doctrinam f. 7
Matheus. f. 50
Galatas Iudas Epistola. III f. 127